



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### Sancta Communitas, In Paupertate religiosa inviolata

Wissingh, Anton

Coloniae Agrippinae, 1699

NB. Tenor Epistol. Eminentiss. D. Cardinalis Protectoris Leandri Colloredi, directæ ad Ministrum Provinciale Colonienſis Provinciæ, pro neceſſaria reformatione.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-49611](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-49611)

natur in iisdem ; maximè è re causæ Dei promovendæ futurum visum fuit , tenorem earundem huic libro inserere ex intima cordis reverentia ad eundem Eminentiss. D. Cardinalem Protectorem , utpote de Ordine nostro optimè meritum , & summè sollicitum ; maximè cùm inde majorem consolationem , confirmationem , & eruditionem jam tum pro nunc , & majorem pro futuro hausturos nos confidamus ego & confratres mei , quàm ex sola tenuitate ariditatis sermonis mei.

*Adm. Rev. Pater.*

**B**onus nuntius de terra longinquà advenit , quòd paternarum traditionum emulatores facti , ac vestra professionis non ignari , ea fueritis animo meditati , qua Seraphici Instituti cultores maximè descent , ut nimirum abdicantes proprietatem , & secularia desideria , vitam vestram exinde instituire disposueritis juxta exactam normam Sacrarum Constitutionum Urbanarum , qua tanto discretionis sale sunt aspersa , ut quasi scelus idololatriæ sit , nolle ipsis acquiescere , illasque ad amissum servare . Quapropter maxima gestiens letitia , calamum cohibere non potui , quin superabundantis in me gaudii testimonia proferrem , cùm majorem horum non habeo gratiam , quàm cùm videam Patres meos in veritate ambulare , ac sanctæ paupertatis , ac perfectæ communitatis divitias agnoscentes , frigida illa verba meum , & tuum à suis cœnobiis eliminare , ac Parentis Optimi inherentes vestigiis expectare , quòd crescere nos faciat Deus in terra paupertatis nostræ ,

Con-

*Constantes igitur estote in tam sancto proposito. Quod si aliqui ex vestris nimium metuentes studeant adversari; vos qui spirituales estis, huiusmodi instruite in spiritu lenitatis, nec ab incepto desistite, donec Christus formetur in omnibus, ac, quae in professione fuerunt promissa, sanctè atque inviolabiliter custodiantur. In quo quidem proposito Apostolica Sedis, ac meum, qui apud ipsam licèt immeritus Protectoris vestri munus exerceo, auxilium numquam deerit. Interim Natalitios hosce dies faustissimos vobis deprecor, ut, qui olim natus est pro nobis IESUS, semper renascatur in vobis. Roma ipso Sanctissima Nativitatis die, Anno 1698.*

*Adm. R. P. T.*

**Amantissimus ex corde**

**LEANDER, CARD. COLLO-  
REDUS.**